

Magiovi-  
niūm.

statimque Dunstable devenimus, quod in solo  
cretaceo situm, incolis satis frequens, & diver-  
soriis plenum, quatuor habet plateas ad quatu-  
or mundi plagas, in quibus singulis, cum solum  
sit siccissimum, quatuor in publicum usum sunt  
lacunæ, quæ quamvis pluviali solummodo aqua  
alantur, nunquam deficiunt. Fontium vero  
venæ non inveniuntur, nisi puteos in vi-  
ginti quatuor cubitorum altitudinem agant.  
In medio Crux sive potius columna visitur An-  
glia, Castilia, & Pontivis insignibus insculpta &  
statuis decorata, quam Rex Edwardus Primus in  
Æleonoræ conjugis memoriam ut alias nonnullas  
posuit, quacunque ejus funus exequiali pom-  
pa Westmonasterium deduxit. Hoc fuisse illam  
stationem quam Antoninus Imperator in suo Iti-  
nerario MAGIONINIVM, MAGOVINIVM,  
& MAGINTVM, appellat, non est cur quispiam  
dubitetur, aut alibi queratur. Nam præterquam  
quod ad viam militarem Romanorum adsidet,  
Cæsarum nummi in agris circumvicinis à subul-  
cis subinde reperiuntur, quos Madning monye ad-  
huc vocant, & parum abest ad ipsum Chilterni-  
corum collum descensum sepimentum militare  
in orbem circumductum, eujuſmodi Britanno-  
rum oppida fuisse prodit Strabo, quod novem  
jugera continet, & Madning-bowre & Madinbowre  
appellitant; in quo nomine parum variato MA-  
GIN T V M se planissime ostendit. Sed cum MA-  
GIN T V M, vel belli, vel ævi injuria cecidisset,  
Henricum primum hic oppidum reædificasse,  
ædesque Regias ad Kingsbury, & coloniam ad la-  
tronum audaciam reprimendam, qui viam obse-  
derant, collocasse, privata historia monasterio-  
li, quod ipse ad coloniæ suæ ornamentum funda-  
vit, plane contestatur. Sed habe ipsa verba ex  
historia illa privata, licet ejus seculi barbariem  
redoleant, Nota quod area illa ubi via Watling & Ike-  
ning conveniunt, per Henricum Regem Anglia Seniorem  
primitus sartabatur ad malitiam cuiusdam famosissimi  
latronis Dun nomine, & sociorum suorum refrænandum.  
Et ab ipso Dun dictus locus Dunstable condidit, fecitque  
sibi juxta illum locum regiam mansionem. Burgenses liberi  
erant per totum, sicut ceteri Burgenses regni Regis. Rex  
habuit in eadem villa nundinas & mercatum. Postea fun-

davit Ecclesiam, & authoritate Eugenii III Pape posuit  
ibi Canonicos Regulares, & dictos religiosos dō toto Burgo  
feofavit per Chartam, & eis plurimas contulit libertates.

Nunc de Bedfordiæ Dominis, Ducibus & Co-  
mitibus. Primum fuerunt Barones Bedfordiæ è  
familia de Bellocampo, qui regibus Anglia die in-

Bedfordiæ  
Dukes,  
Comites,  
& Baro-  
nes.

augurationis jure hæreditario erant Eleemosy-  
narii. Quorum hæritas cum jam per filias in  
Mowbrayorum nomen, Wake & Fitz-Ottes, &c. dis-  
pertita fuisset, Edwardus III Engelramum de  
Concy Suescionum in Gallia Comitem cui filiam  
elocarat, primum Bedfordiæ Comitem creavit.  
Postea Henricus Quintus Bedfordiam in Duca-  
tus titulum evexit, tresque Duces habuit, pri-  
mum Ioannem Henrici III filium tertium, qui  
Gallos navali prælio ad Sequanæ ostium, & post-  
ea Franciæ Regem terrestri ad Vernolium for-  
tissime profligavit, Rothomagi sepultus, & una  
cum illo bellica Anglorum in Gallia fœlicitas.  
Cujus monumentum cum Carolus Octavus Rex  
Gallia inviseret, nobili adstanti qui demoliri sua-  
fit, Requiescat, inquit, jam mortuus in pace,  
quem vivum in bello Gallia pertimuit. Secundus  
Bedfordiæ Dux erat Georgius Nevill puerulus, fi-  
lius Ioannis Marchionis Montifacuri, quos eo ho-  
norum statim atque evexisset, etiam dejecit Rex  
Edwardus Quartus, idque authoritate Parla-  
mentaria; patrem ob perfidiam cum ab eo de-  
fecisset, filium in patris invidiam: prætexebar-  
tur tamen quod ad Ducis dignitatem tuendam  
ob inopiam impar esset; magnatesque ab opib-  
us minus instructi vicinis semper sint graves at-  
que iniquiores. Tertius erat Jasper de Hatfield  
comes Penbrochiæ, à nepote Henrico Septimo,  
quem ex maximis periculis eripuisset, eo titulo  
exornatus, qui senex & cœlebs è vita migravit.

Patrum vero memoria in Comitatus titulum  
recedit, cum Rex Edwardus Sextus Ioannem  
Russell Bedfordiæ Comitem creavit, cui succe-  
dit filius Franciscus, vir ea pietate & nobili natu-  
ræ facilitate, ut nunquam magnifice quicquam  
in ejus dicam laudem, quin id ejus virtus longe  
superaverit. Successorem autem ille reliquit  
Edwardum è filio Francisco nepotem, avitis lau-  
dibus succrescentem.

Habet hæc provinciæ parœcias 116.